

Q. D. B. V.

DISPUTATIO THEOLOGICA

De

# SEPARATISMO,

Cuius PARTEM POSTERIOREM

*Cum consensu Ven. Facult. Theol.*

PRAESIDE

*Max. Rev. atque Celeber. Viro,*

ISAACO BÖCKLUNDI

S. Theol. Prof. publ. & Ord.

*Publice examinandam sifit*

Auctor & Respondens

ISAACVS LITHOVIVS,


*Designatus in Lappå Sacellanus,*

H. L. q. C.

d. III, m. Aprilis, MDCCXXXVI.

---

ABOAE, Excud. Joh, Kiämpe, R. Acad. Typ.



## CAPITIS II.

### MEMBRVM I.

*Argumenta Separatistarum primi generis, eorumque refutacionem exhibens.*

*Sivioψις.*

I:o Ecclesia Euangelica non est	III:o Sacraenta non sunt liber-	
Babel,	rae quaedam ceremoniae, §. IV.	
II:o Cultus Dei in N. T. non est	IV:o Sola spiritualis manducatio-	
tantum internus, neque in	non sufficit, §. V.	
ecclesia Euangelica consistit in	V:o Ecclesia Euangelica non per-	
ceremoniis, §§. II. III.	sequitur vere pios, §. VI.	

### §. I.

**P**ostquam in parte priori, adductis rationibus, ostendimus, separationem ab ecclesia Euangelica, non esse necessariam, nec licitam; nunc argumenta contranitentium, nobis sunt perpendenda, ubi primum ratiocinia Separatistarum primi generis, (C. I. M. I. §. 2:) examinanda occurunt, quorum quidem, quantum ex scriptis eorum colligere licuit, haec sequentia sunt potiora. I:o Ecclesiam Euangelicam esse Babel, aut se-  
A  
ctam

Etiam quandam Babeticam; ideoque ab eadem separationem esse necessariam: Babelem enim significare confusioneM quandam aut perturbationem, quae, ut in aliis omnibus sc̄tis, ita quoque in ecclesia Euangelica, tanta sit, ut maior esse nequeat. (a) Resp. 1:0 Si vocem Babelis sensu adeo laxo accipias, ut omne id, in quo aliqua confusio existit, denotet, non repugno, etiam grauem illam impiorum turbam, ecclesiae Euangelicae admixtam, posse dici Babelem, quod tamen opprobrium, ne sic quidem, ipsam ecclesiam Euangelicam ferit. Resp. 2:0 Si autem vox illa sensu in scriptura ~~potissimum~~ visitato accipiatur, iniuste prorsus nomine illud ecclesiae Euangelicae affingitur. Nam ex iis, quae supra (C. I. M. II.) dicta sunt, satis superque apparet, in Scriptura Sacra, ubi de famosa illa Babete mystica agitur, ea denotari eiusmodi hostem verae ecclesiae, qui sanguinie sanctorum sit ebrius, aliasque ibidem enumeratae vocatur locas proprietates in se habeat. Resp. 3:0 Si ecclesia

*Efa. 48.* Euangelica propter solam illam perturbationem aut confusionem, quae impios, externo eius consor-  
v. 20. proprie-*ti*o se adiungentes, adsicit, esset Babel appellanda; aequali sane iure etiam ecclesiam tam veteris, quam primitiua N. T. Babelem posses appellare, cum ne illae

quidem ab eiusmodi affectione fuerint immunes. Confusionem, qua ecclesia Judaica infestabatur, satis lucu-

*Lamentationes* lenter depingunt Prophetae, *Esa. C. I. s. 6. Jer. C. II. 10.*

*XIII. 10. & Ezech. C. V. s. 6, 7.* Sic etiam in ecclesia

primitiua N. T. haud exigua turbatum vestigia extant,

*qui in genere* & quorumuis peccatorum quasi mixtura quaedam, ceu e-

*xem-  
re. stuctor* (a) vid. Römel. Erwiedungs Stimme an alle in Babel.

*Significatio* C. I. S. n. &c.

*nem.*

xemplum ecclesiae Corinthiacae, ex epistolis Paulinis satis apparet: multae etiam deinceps enatae haereses, sectae, schismata, lites & controversiae, ut historia ecclesiastica abunde testatur (b). Attamen nusquam legimus, vel Prophetas ecclesiam Iudaicam V. T. vel Apostolos ecclesiam N. T. primitiua, licet & illae tantam paterentur perturbationem, Babelem appellasse.

## §. II.

**V**erum Dei cultum in N. T. esse tantum internum, Job. IV. 23, 24. Ebr. IX. 8, 9, 10, Col. II. 16, Rom. VII. 6; Cultum autem diuinum in ecclesia Euangelica receptum & visitatum, esse tantum externum, & consistere in ceremoniis quibusdam, adeoque falsum, & propterea separationem ab eo esse necessariam (c). Resp. 1:o A veritate omnino alienum est, cultum Dei in N. T. vnicce & tantum in internis consistere, vt, ex. gr. in interna Dei veneratione, fiducia, amore &c. ceu supra (C. I. M. II. §. 1.) ostensum est. Resp. 2:o Ita etiam hoc plane a veritate aberrat, cultum Dei externum, publice in ecclesia Euangelica visitatum, consistere in meritis ceremoniis, i. e. eiusmodi actionibus & ritibus, qui non sint a Deo mandati, sed ab ecclesia tantum recepti aut instituti. Nam ceremoniae in ecclesia Euangelica visitatae, retinentur & usurpantur non eo fine, vt iisdem cultus aliquis Deo praestetur; sed, quum ecclesiae militantis ea sit conditio, vt iis prorsus carere nequeat, adhibentur eae quidem, verum tantummodo partim propter bonum ordinem in ecclesia conser-

A 2

uan-

(b) vid. inter alios Gotb. Arnold. R. und R. bish. P. I. Lib. I. C. IV. (c) vid. Remelings v̄llige Herausf̄ührung aus Babel p. 30. 31.

uandum. Eiusmodi ceremonia est festiva celebratio certorum quorundam dierum, ab ecclesia receptorum, prae ceteris diebus. Illud enim propterea tantum fit, ut ecclesia ad cultum Dei publicum, simul & unanimiter praestandum, conuenire sciat, quod, praesertim ruri, alioquin fieri nequirit; & deinde, ne homines negotiis secularibus, ab eodem praestando impedianter (*d*). Inter eiusmodi ceremonias, numeramus etiam confessionem priuatam, quae ante communionem sacrae coenae, plerisque in ecclesiae Euangelicae locis, fieri solet: nam neque illa, ut pars aliqua cultus diuini absolute necessaria, & a Deo mandata, usurpatur, sed itidem propter bonum duntaxat ordinem. Partim quoque retinentur ceremoniae, in ecclesia Euangelica semel receptae, ad aliquod spirituale & mysterium illis designandum, ut ex. gr. *exorcismus*, *terna aspersio aquae baptismalis*, &c. (*e*). Resp. 3:o Non tamen negamus, impios in ecclesia Euangelica existentes, magnam cultus diuini partem, in ceremoniis illis collocare, quod, pro dolor! experientia quotidiana, satis superque testatur. Sed hoc quod impii, quos pro veris ecclesiae Euangelicae membris non agnoscamus, faciunt, non est ipsi ecclesiae imputandum.

## §. III.

(*d*) *Quae autem vera sit Confessorum Augustinorum, Artie. de abusib. ultimo, sententia, de die Dominica, cum primis disserit J. G. Walchius, Intrud. in Libros Symbol. Lib. I. C. II. §. 48.*

(*e*) *Qui vero cum Römeling in der Offenbahrung Babels p. 200. 201. Sacramenta N. T. in classem nudorum rituum ac ceremoniarum compingere conantur, nimium quantum a vero deviant. vid. latius hinf. §. IV.*

## §. III.

**R**Esp. 4:0 Neque in locis citatis, cultus Dei externus & publicus in N. T. abrogatur. Nam Job. IV. 23. 24. Saluator non docet, vt e contextu satis euidenter apparet, externas preces in N. T. abrogari; sed tantum 1:0 inculcat modum rite fundendi preces, quod non externe, aut ore tantum & verbis, fieri debeant, sed etiam *spiritu*, i. e. ex animo, eoque fideli, deuoto, adeoque *spirituali*; & in *veritate*, i. e. vere & rite, secundum mandatum & praescriptum diuinum, non contra, sicut faciebant *Samaritani*, v. 22, solum patrem adorantes. 2:0 Docet locum precandi & Deum colendi, in N. T. iri immutatum, vt non amplius, quemadmodum in V. T. adoratores & cultores Dei, essent ad templum Hierosolymitanum alligati, neque ad montem Garizim, vt opinabantur *Samaritani*; sed ipsorum vota atque cultum, rite instituta, ubique locorum fiant, Deo grata esse futura. Hanc & non aliam fuisse mentem Salvatoris, satis vel ex eo patet, quod non solum ipse saepenumero externe precatus fuerit, vt Euangelistar testantur, sed etiam discipulos suos, certam precum externalium formulam docuerit, Matth. VI. 9. Luc. XI. 2. (f). Ebr. IX. 8. 9. 15. Apostolus, sicut rursus ex ipso contextu patet, non docet omnem platem ext:rnun Dei cultum, in N. T. esse ab-

(f) *Sic illi mysticorum, qui precibus vocalibus, aut parum, aut nihil tribuunt, quid aliud faciunt, quam tum apud singulos pios spiritus ardorem, qui, quo minus ore prorumpat, minime ubique cohiberi potest, suffocant extinguuntque; tum aiorum excitationi, impulsioni & aedificationi ansam prescripunt, precumque coniunctiarum decantatum illum effectum impeuunt?*

abrogatum, sed eum tantum, quo in V. T. praefigurabatur emundatio fidelium a peccatis eorum, per Christum futura. *Col.* II. 16. Apostolus plane similiter docet, cultum tantummodo Leuiticum, quo Christus, & redemptio per ipsum futura, adumbrabatur, eaque festa & tempora, quibus ille cultus peragebatur, in N. T. cessasse. *Rom.* VII. 6. non adeo tempora, & conditionem testamenterum, quam diuersos cuiusque hominis status, peccati nempe & gratiae, sibi inuicem opponi, manifestum est. Videlicet per nouas vires, a Spiritu S. collatas, promte & cum delectatione seruendum; non ex vi antiquae legis, comminationibus suis urgentis, & vel cunctantes, vel inuitos, cogentis ac propellentis (g).

## §. IV.

**S**acramenta non esse vera & necessaria salutis media, quemadmodum ea in Babele habentur, sed tantum ceremonias quasdam, cum duntaxat in finem diuinitus institutas, ut veri Christiani, communii eorum usu, mutuam inter se caritatem, & fraternitatem Christianam, testentur. Propter eaque cum profanis hypocritis, quales sint membra ecclesiae Evangelicae, iis non stendum esse, praesertim, cum non solum, si veri Christiani istud faciant, sic erga hypocritas illos, peculiarem quandam familiaritatem testari, cosique pro veris Christianis agnoscere videantur, adeoque in securitate confirmari; verum etiam contra, & a communione sacrae coenae cum ipsis celebrandas discedant, citius a securitate sua expergesiri possint. *Resp.* *xv.* *Sacramenta non esse nudas quasdam ceremonias, sed vera & necessaria salutis media, ex iis, quae supra (C. I. M. II. §. 2.) de ea re diximus, satis patere arbitror.*

*Inßan-*(g) *Conf. C. Stock. obseruat. ad b. l.*

*Instantia: Si sacramenta non essent ceremoniae eiusmodi, sed vera & efficacia salutis media, i. e. spirituali efficacia donata, utique etiam effectus spirituales penes illos, qui iisdem vtuntur, producerent; sed experientia contrarium docet (b). Resp. (a)*

Quamvis sacramenta penes eos, qui illis vtuntur, plerumque nullum sortiantur effectum; tamen in se nihilominus possunt esse vera & efficacia salutis media, i. e. virtute saluifica donata, cum efficacia eorum non sit irresistibilis, sed ab hominibus, iisdem vtentibus, facile impediti possit. Hoc ipsum innuit Saluator *Lue. VIII.* vbi docet verbum, adeoq; etiam sacramenta, esse similia semini cuidam, quod quidem in se semper foecundum, i. e. virtute fructificante donatum est, aliquando tamen propter agri duritiem, sterilitatem, &c. fructu potest destitui. Imo, si his gratiae organis, ideo denganda est efficacitas, quod saepe effectu destituantur, eadem ratione periclitaretur & gloria ipsius virtutis diuinae, quum nec eius serium homines conuertendi conatum, intentus vbique sequatur effectus, i. e. conuersio.

Resp. (b) Ipsa experientia testata est, atque etiamnum, laus Deo! testatur, eadem non plane omni fructu carere, sicut C. I. M. III. §. 5. luculenter ostendimus.

Resp. 2:o Primarii fines sacramentorum sunt regeneration & renouatio, & singulariter, quoad coenam Domini, commemoratio mortis Christi, & denique salus nostra. Praeterea autem, vbi plures veri Christiani inueniuntur, eum quoque in finem ad sacram coenam accedere possunt, vt mutuam inter se caritatem testentur. Ille autem finis, cum nec sit primarius, neque unicus, quamvis obtineri non possit, nihilominus tamen

proe

(b) *Römel. L. c. C. IV. §. 14.*

propter alios istos fines iublimiores, obstricti sunt veri Christiani, ad vium sacrae coenae, quos quiuis fidelis, etiam inter impios communicantes, semper assequi potest. Resp. 3:o Onnes impii hoc satis norunt, fideles & vere pios, non ad testandam erga ipsos peculiarem quandam amicitiam, & communionem spiritus, vna cum ipsis ad coenam Domini accedere; sed propter salutem suam, & mandatum diuinum. Nam hic plane ita res sese habet, ac, quum aliquis in conuiuio magnatis alicuius, ab eo inuitatus, vna cum quodam inimicorum suorum, accedit; quo sane ille nullam huic familiaritatem exhibit arctorem, aut eundem pro amico suo agnoscit. Praeterea pii & fideles, in vita & conuersatione quotidiana cum impiis, ostendere debent, se illos pro veris Christianis non agnoscere, quamdiu in impietate sua persistunt. Propter eaque, si impii per usum sacrae coenae, in securitate confirmantur, quod, pro dolor! negari non potest, tamen illud non inde euenit, quod vna cum piis & fidelibus, ad coenam Domini accedunt, sed ex eo, quod non omnino ab illius usu excluduntur, si modo illud alioquin fieri posset. Resp. 4:o Experientia testatur, impios multo magis in securitate per separatismum confirmari, quam ab eadem excitari. Neque sane aliter fieri potest. Cum enim illis e verbo Dei sit persuasum, cultum Dei externum etiam esse hominis Christiani officium, & sacramenta vera salutis media, quae a Separatistis reiciuntur, non tantum erga iplos Separatistas odio accenduntur, sed etiam a vero atque serio pietatis zelo alieniores redundunt, &, vt in securitate sua persistant, permouentur, ceu supra ostendimus (C.I.M. I. §. 8. n. 3.). Quod si etiam

etiam vnum aut alter impius a securitatis somno eo possit excitari, quando pii & fideles ab eorum communione in S. coenae vsu se separant; non tamen separatio ista propter incommoda, ex eadem redundantia, longe grauiora, est licita, adeoque monente Apostolo, non sunt facienda mala, ut inde euenant bona.

## §. V.

IV:o **V** sum coenae externae non esse necessarium illis, qui quotidie, interne & spiritualiter fide, manducent corpus Christi, & bibant sanguinem illius. Resp. 1:o Veri Christiani quotidie Deum interne colunt, & nihilominus tamen sunt ad cultum quoque externum illi praestandum obligati. Resp. 2:o Vtraque manducatio & bibitio veris Christianis a Deo mandata est, propterea que non magis sacramentalem, quam spiritualem, cuiquam profusus intermittere licet; nam omnia, quae a Deo nobis sunt aequae mandata, sunt quoque nobis aequae facienda, suo quaque ordine.

N.B.  
4 Sine iusta  
causa

## §. VI.

V:o **I**n ecclesia Euangelica omnes, qui falso illo Dei cultu, falsisque mediis salutis, quae in ea usurpantur, reiecliti, Deum in spiritu & veritate colant, tanquam haereticos, calumniis affici, & omni modo vexari. Resp. 1:o Non negamus, diabolum etiam in ecclesia Euangelica eos habuisse, & forte etiamnum habere, qui vere pios, veramque pietatem omni modo infestarunt, infestantque, quod calumniae in b. Arndium coniectae, eiusque persecutiones, ad oculum usque ostendunt. Verum illud, quod impii in ecclesia Euangelica existentes, faciunt, non est ipsi ecclesiae imputandum, prout saepe antea non onus.

B

Resp-

Resp. 2:o Illi autem, qui verum Dei cultum, veraque salutis media, vilipendunt, reiiciunt atque calumniantur, ut non sunt vere pii, & sinceri Christiani, sed, si pertinaciter post admonitiones saepe iteratas, id faciant, vere malitiosi haeretici, ita neque calumniis afficiuntur, cum siue publice, siue seorsim, propter hunc malitiotum ordinationum diuinorum contemptum, redarguuntur, modo illud ratione Christianis digna fiat (i). Haereticos enim redarguere, eorumque falsam doctrinam detegere & refellere, a Deo omnibus, in primis ecclesiae ministris, serio iniunctum est, Tit. I. 9. 10. 11. 13. Id praeterea quoque requirit salus, tum ecclesiae, ne a lupis istis improviso dilaceretur, tum ipsorum doctorum, qui, nisi hoc fecerint, tandem propterea graues poenas sunt subituri. Hinc & ipse Saluator, eiusque Apostoli, in falsos doctores aliquando acriter sunt inuecti, Matth. VI. 2. VII. 15. XII. 34. 39. XXIII. 13 &c. Act. XX. 29. 30. Tit. I. 10. 11. 13. Quemadmodum autem hi propterea calumniae accusari nequeunt, ita neque ecclesia Euangelica iure huius criminis insimulari potest, quod ipsorum exempla, in haereticis iusto zelo redarguendis, imitetur. Immo, si hoc calumnia vocari debet, tum calumnia pariter esset, cum ministri ecclesiac, periuria, furta, crapulas, adulteria, aliaque istiusmodi peccata, iusto zelo reprehendunt: quum seductio simplicium in errores perniciosos, aequa sit peccatum, & reprehensio illius, non minus, quam aliorum peccatorum, a Deo mandata.

Resp.

(i) In exponenda illa copiosus est D. D. Bern. Walz. Marperger, in tractatu der wahre Lehr-Elenchus, passim, cum primitis Part. I. Erst. Abtheil. C. V.

Resp. 3:o Haeretici, quales etiam pertinaces & malitiosi cultus diuini publici, & sacramentorum contemtores, omnino sunt habendi, in ecclesia Euangelica nulla ratione infestantur, quamdiu non seducunt alios, neque sectae ab illis excitantur, quibus ecclesia & respublica turbantur. Cum autem hoc sit, iustum non solum est, sed & officium magistratus Christiani, ut eosdem coercent. Quod tamen non fieri debet, nec sit in ecclesia Euangelica, suppicio aliquo capitali, contra quam sit in *Babele Romana*; sed tantummodo excommunicatione ab ecclesiae consortio, & proscriptione a republica. Propterea, quicquid illi patiuntur, non patiuntur propter veram pietatem, sed quod opera eorum merentur.

## CAPITIS II.

## MEMBRVM II.

*Argumenta, quibus Separatistae secundi generis utuntur, etrumque refutationem, complectens.*

*Euvocatio.*

- |   |  |
|---|--|
| I:o Ecclesia Euangelica non est<br><i>celta quaedam profana, sed</i><br><i>vera Dei ecclesia, §§ I. II.</i>                                   | <i>celta Euangelica rite peragi-</i><br><i>tur,</i> §. IX.<br><i>IV:o Sacramenta non admini-</i><br><i>strantur contra institutionem</i><br><i>divinam,</i> §§. X. XI. |
| II:o Ministerium ecclesiasticum<br><i>non est usque adeo corruptum,</i><br><i>ut separatio propterea sit ne-</i><br><i>cessaria,</i> §. VIII. | <i>V:o Jer. XV. 39. I. Cor. V. 11.</i><br><i>Ec. non mandatur huiusmo-</i><br><i>di separatio, §§. XII. XIII.</i><br><i>III:o Cultus Dei publicus in ec-</i>           |

## §. I.

**P**raecipua argumenta, quibus Separatistae secundi generis (C. I. M. I. §. 2.) separationem, quam innuimus, iustum & necessarium esse probare volunt, sunt quae sequuntur: 1:o Veram Dei ecclesiam esse coetum hominum mere sanctorum, Cant. IV. 7. Rom. VIII. 9. Eph. V. 26. 27. ecclesiam autem Evangelicam non esse talem, sed sciam quandam impiam & profanam, cum ea maximam partem consistat ex hominibus notorie profanis; adeoque ab illius communione esse discedendum. Resp. 1:o Libenter concedimus, veram Dei ecclesiam constare ex solis sanctis hominibus, sicut iam supra indicauimus (C. I. M. III. §. 1.) Resp. 2:o Hoc autem e diametro contra veritatem est, coetum hunc sanctorum, qui veram Dei ecclesiam constituit, vel vnuquam fuisse, vel iam, aut vnuquam esse posse, adeo prorsus immunem & liberum ab omnibus impiis, vt nulli eorum amplius in externo eius conuictu reperiantur. Quae enim de splendida illa spe meliorum temporum prodita sunt, ita perplexe ac lubrice disputantur, vt consti-tuendae de tanta re fidei nondum faciant satis, sed argumenta, in contrarium a nobis inferius adducenda, sibi constent.

## §. II.

**Q**uod autem vera Dei ecclesia, nunquam adhuc in eiusmodi statu fuerit constituta, id e scriptura sacra & historia ecclesiastica manifestum est. In ecclesia Dei ante diluvium, magnum semper impiorum numerum fuisse, historia antediluviana abunde docet. Neque post diluvium, tempore patriarcharum, ecclesiam Dei vnuquam prorsus immunem ab illis fuisse, pariter e scriptura V. Test.

Test. apparet. Tempore Noachi, Chamus & Chamitae; tempore Abrahami & Isaaci, profanus Esauus; tempore Jacobi, Ruben & Juda incestuosi, Simeon & Levi homicidae, multique sine dubio alii impi, coetui sanctorum fuerunt intermixti. Sic ille *populus sanctus, peculi-um diuinum, & regale sacerdotium*, Exod. XIX. 5. 6. nihilominus tum in solitudine Arabiae, cum in Canaanaea, maxima impiorum turba grauabatur. Quod etiam in ecclesia Judaica, tempore prophetarum, magna fuerit colluies impiorum, id ex scriptis ipsorum satis manifestum est, Eze. I. 5. 6. Jer. II. 10. 11. XVII. 3. Ezech. V. 6. 7. Ita quoque ecclesia Christiana in N. T. semper fuit comparata. Christus in ecclesia vndeциm Apostolorum, Judam auarum & proditorem habebat. In ecclesia Corinthiaca fuerunt incestuosi, scortatores, superbi, auari, idololatriæ dediti, ebriosi, raptores, obrectatores, luxuriosi, qui negabant resurrectionem, sacra coena pesime abutebantur, ut patet ex I. Cor. I. V. VI. VIII. IX. X. XI. XV. capitibus: nihilominus tamen Corinthiaca ecclesia, erat vera Dei ecclesia, I. Cor. I. 2. Idem fere fuit status ecclesiae Galaticae iam tempore Apostoli. Erant enim in illa falsi doctores, qui simplices seducebant, ut reiecto merito Christi, per opera legis salutem consequi studerent. Erant quoque in illa homines, qui in variis proaereticis flagitiis viuerent, quod ex seriis Apostoli monitis, de eiusmodi flagitiis cuitandis, collectu proclive est, vid. C. V. 19. 20. 21. Non tamen existimo quemquam inficias iturum, in Galatia eodem tempore veram Dei ecclesiam fuisse. Eadem quoque post tempora Apostolorum, fuisse rationem ac statum verac-

verae Dei ecclesiae, id ex historia ecclesiastica satis manifestum est.

§. III.

**O**buertunt Separatistae: *impios a primitua ecclesia, simulac innotuissent, esse excommunicatos, & eam sic ab illis puram & immunem seruatam: quod non fuit in ecclesia Evangelica.* Resp. 1:0 Initio, cum impiorum numerus adhuc exiguis esset, nulli, fateor, notorii peccatores in primitua ecclesia tolerati sunt, sed omnes ab eius communione exclusi, praemissa tamen terna admonitione, secundum monitum Salvatoris, *Matth. XVIII. 15. seq. (k).* Resp. 2:0 Cum autem postea numerus impiorum adeo inualuisset, ut omnes ac singuli, non possent amplius sine magnis incommodis excommunicari, cum in primis periculum esset, ne, si omnes fuissent excommunicati, nouae sectae ex iisdem exorirentur; propterea maluerant apostoli & primitua ecclesia, aliquamdiu eos in externa sua communione tolerare, & ab excommunicacione ipotorum abstinere. Quod ex *Gal. V. 12.* collectu proclive est, ubi Apostolus exoptat quidem, ut pseudo prophetae exscinderentur, i. e. excommunicarentur, aut possent excommunicari; attamen ad euitanda incommoda illa, quae ex ipsorum excommunicatione, facile sequi posse praeuidebat, noluit in illos excommunicatione statim animaduertere. Hinc igitur, licet in ecclesia Evangelica multi impii tolerantur, adeoque non omnes, qui digni quidem excommunicatione essent, excommunicantur; non tamen propterea, falsa ipsa est, aut quem-

(k) cfr. Gotb. Arnold. R. und R. Hist. P. I. L. II. C. IV,  
§. 12.

quemadmodum *Separatistae* hi loquuntur, secta quaedam profana & carnalis, praesertim, quum illa calidis suspicriis, anxiisque desideriis, semper cum *Paulo* exoptaret, & etiamnum exoptet, fieri posse, ut maculae istae aliquando eluantur, & haec coetus sui carcinomata excindantur.

## §. IV.

**S**icut igitur vera Dei ecclesia, nunquam adhuc fuit plena immunis ab omnibus impiis; ita neque post-hac eam in hoc mundo, unquam in eiusmodi felicem statum peruenturam esse, sperandum est. Nam *scriptura* diserte affirmat, impios semper usque ad mundi finem, piis intermixtos esse futuros, *Il. Tim. III. 1. seq.* Idem quoque indicatur, cum ecclesia Dei *Matth. III.* comparatur cum area quadam, in qua paleae cum tritico sunt commixtae, donec ventilatione a se inuicem separantur (1); & *Matth. XIII.* cum agro, in quo zizaniae una cum tritico usque ad messem crescunt non tantum, sed etiam in agro crescentes, ab omnibus conspicuntur. Indicatur in hisce similitudinibus non coetui sanctorum, vel verae Dei ecclesiae, impios esse intermixtos. 2:0 non solum hypocritas, qui in occultis peccatis viuunt, & externe pietatem quandam simulant, sed etiam notorie impios, quorum impietas omnibus est manifesta. 3:0 eos semper usque ad extremum iudicium, utpote quod ventilatione & messe denotatur, in ecclesia esse futuros. Vnde sequitur, veram Dei ecclesiam, nunquam in hoc mundo, eo modo, quo volunt *Separatistae*, ab impiis immunem fore.

## §. V.

(1) *Nos fateremur, in ecclesia catholica & bonos & malos esse, sed tanquam paleas & grana,* August. Tr. 6. in Joh.

## §. V.

**I**D ipsum, quod ecclesia nunquam in hoc mundo in eiusmodi perfecte sanctum statum peruenire possit, Separatistas hosce, sua quoque ipsorum experientia iam dudum edocuit. In secta Anabaptistarum, quam illi omnibus modis ab impiis immynem seruare studuerunt, statim in primordiis illius, dum adhuc velut in incunabulis iacebat, & in innocentissima sua aetate esset, multi fuerunt, qui non solum ipsi impia & falsa dogmata fouerent, sed etiam summo studio eadem diuulgare stuperent; hinc quoque statim multi in illa se inuicem odiis, obtestationibus, & plane horrendis calumniis sunt persecuti. Ex odiis & calumniis mox schismata & sectae plurimae sunt exortae (*m*). Quae omnia sunt manifestissima tenebrarum opera. Progressu temporis non immutum, sed multo adhuc magis auctum & multiplicatum esse numerum impiorum, in ecclesia vel secta eorum, ipsorum de eo factae querelae satis testantur (*n*).

## §. VI.

(*m*) vid. I. C. Jebrings Anf. und Fortg. der Laufg. Naturatum est haud ita pridem ridiculum dicam, an miserandum eiusmodi intemperiei exemplum, Londini, ubi pater cum duobus filiis, secessione a gregalibus facta, suam sibi constituit ecclesiam, ceu unice veram puramque, omnibus aliis excommunicatis. Neque ita multo post, orta dissensione, alterum filiorum communione exclusit. Postmodum, quum neque melius illum resiauo filio conueniret, hic parentem excommunicauit, solus sibi visus in ecclesia superstes.

(*n*) vid. Jebrings Berbericht §. 17. in Anf. und Fortg. der Laufgesinneten.

## §. VI.

**R**Esp. 3:o Neque ex locis e scriptura sacra adductis aliud probari potest, ceu illa accuratius consideranti facile patebit. Nam *Cant. IV.* 7. dicitur quidem ecclesia tota esse pulcra, i. e. sancta, non tamen eo sensu, ac si nulli plane impii in ea existerent; sed propterea, quod illi, qui eandem constituunt, vel sunt vera illius membra, non tantum ab omnibus proaereticis peccatis sint immunes, & vera pietate, ceu ornamento quodam pulcherrimo, decorati; verum etiam, quod per fidem participes sint iustitiae & sanctitatis Christi perfectissimae, eaque ita ab omnibus suis peccatis emundati, ut in iudicio diuino adeo sancti ac iusti reputentur, ac si nulla peccati macula in ipsis amplius esset residua; immo illa, ceu veste quadam splendidissima, induiti. Ita hunc locum intelligendum esse, haud obscure patet, ex C. I. 6. vbi a filiis matris suae, i. e. ab impiis & falsis fratribus se vexari conqueritur. Similiter C. II. 15. affirmatur, *vineas a vulpibus*, i. e. falsis doctoribus, corrumpi, quos propterea intra easdem vineas, i. e. in ecclesia illa, quae ab iisdem corruptitur, esse oportet, adeoque illam impiis obnoxiam. *Rom. VIII.* 9. Apostolus nihil aliud dicit, quam quod ii duntaxat, qui ecclesiam Christi Romae existentem constituebant, erant *spirituales*, i. e. regeniti & sancti. At sequiturne hinc: ergo nulli impii externae huius ecclesiae communioni se adsociarunt? minime sane: haec enim felicitas non illi magis, quam aliis ecclesiis contingere potuit, cfr. C. XIV. Verba, quae leguntur *Epb. V.* 26, 27. eodem sensu, ac *Cant. IV.* 7. sunt intelligenda. Nam per *maculas* istas & *rugas*, de quibus

h. I. sermo est, non intelliguntur ipsi impii, sed tantum impietas aut peccata; adeoque Apostolus non docet, ecclesiam Christi immunem esse ab omnibus impiis, sed tantum fideles & sanctos illos, qui eandem ecclesiam constituunt, ab omnibus peccatorum inquinamentis, modo superius ostendo, immunes, adeoque sanctos & inculpatos esse (o).

## §. VII.

**R**Esp. 4:0 Quamvis igitur verum sit, veram Dei ecclesiam, nunquam ab impiis plane immunem fuisse, aut esse futuram: non tamen negamus eam non solum antea, in primis tempore Apostolorum fuisse, sed post-hac quoque adhuc, per gratiam diuinam, posse fieri puriori, & in meliorem statum redigi, quam nunc est, si tantummodo omnes, quorum interest, sua officia rite & fideliter praestarent; si in primis doctores, maiori studio ac zelo, quam vulgo fieri multi dolent, veram ac intemeratam pietatem vrgerent, si ipsi auditoribus suis viuum eiusdem exemplum praeberent, si excommunicatio, modo debito, exerceretur, aut exerceri possit, &c. Ex his igitur sequitur, ecclesiam Euangelicam, qua, ut supra indicauimus, solos sanctos intelligimus, esse quidem in statu valde depresso atque corrupto, cum ei maxima impiorum turba adhaereat, propterea que reformationem ipsi esse summe necessariam; interea tamen nihilominus esse veram Dei ecclesiam, propterea que ab eius communione non esse exeundum.

## §. VIII.

(o) *Nisi cum Seb. Schmidio matis gloriofa haec praedicata de regno gloriae intelligere.*

## §. VIII.

II:o **M**inistros ecclesiae Euangelicae non esse veros, vel tales, quales illi secundum praescriptum verbi diuini esse debeant ratione vitae & doctrinae, I. Tim. III. 2. seq. Tit. I. 6. seq. neque propterea munere suo rite & saturariter fungi posse, quin potius auditores suos tam vita, quam doctrina a via salutis deaucere. Resp. I:o Sicut in vera Dei ecclesia semper, saltem aliqui, veri nominis doctores sive ministri inueniuntur, qui tani ratione doctrinae, quam vitae, tales sunt, quales eos esse decet; ita ex aduerso nunquam adhuc omnes ac singuli eorum tales fuerunt, neque vñquam forte posthac futuri sunt, aut fieri possunt; quod & ipsi Separatistae, vt Mennonistae, iam dum sua ipsorum experientia sunt edociti. Resp. 2:o Hinc verum est, etiam adhuc, per gratiam diuinam, in ecclesia Euangelica, saltem nonnullos, veri nominis doctores esse, qui munere suo rite funguntur. Resp. 3:o Porro inde verum est, etiam inter ministros ecclesiae Euangelicae, oppido multos eos esse, in quibus utraque, tam vita quam doctrina, vero ecclesiae ministro digna & necessaria, desideratur. Consequenter etiam, pro dolor! verum est, in corundem numero multos omnino inueniri, qui munere suo nec rite fungantur, nec possint rite fungi. Resp. 4:o Verumenimvero, licet hoc ab illis non possit fieri rite, i. e. eo, quo decet, modo, & in vniuerso munere; possunt tamen saltem quodammodo, & in partibus maxime necessariis, istud facere. Possunt enim etiam impii sacramenta rite & secundum institutionem diuinam administrare. Neque facile ullus in ministerio ecclesiastico adeo simplex &

*N. annon  
rite doce  
re perfici.*

rudis est, qui non possit, neque adeo peruerius, qui nolit, saltem *eatenus*, viam salutis auditores suos docere, ut quiuis eorum, modo ipse salutis suae fuerit cupidus, illam, adiuuante gratia diuina, ex illius doctrina, saltem simpliciter, perspicere queat. Concepta hac idea, non omnino est dubitandum, quin animus attentus, qui motus spiritus diuini admittere, ductumque eius sequi velit, ad vteriorem gratiae gradum vel sic peruenire possit, maxime, quum & ab his doctoribus, saltem publice, ea ingeminari soleant monita, quibus mens excitari & impelli queat. Quamdiu autem hoc fit, tamdiu separatio ab ecclesia Euangelica non est necessaria. Quod si autem alicubi eiusmodi sint doctores, a quibus nec illud fieri possit, non tamen propterea ab vniuersa ecclesia Euangelica separatio necessaria est, cum in eadem meliores alibi haberi possint. Resp. 5:o Eiusmodi doctores, qui impie docent aut viuunt, sunt primum admonendi, modo a Saluatori *Matth. XVIII.* praescripto; si nihilominus in impietate sua pergant, aut pergere ipsis liceat, tunc quidem ordine decenti licita est separatio a coetu eorum particulari, non tamen propterea a communione totius ecclesiac Euangelicae.

## §. IX.

III:o **C**ultum Dei in ecclesia Euangelica non peragi rite secundum praescriptum verbi diuini, i. e. ritibus in verbo Dei praescriptis, cum ex. gr. in illa pni tantum potestas loquenai concedatur in publicis conuentibus, quae tamen omnibus concessa esse deberet *I. Coro XIV.* Resp. 1:o Cultum Dei publicum in ecclesia Euangelica visitatum, quoad partes suas essentiales, verum & in verbo Dei fundatum esse,

esse, iam supra ostium est, ( C. I. M. III. §. 6. ). Resp.  
 20 Perinde est, quibus ritibus aut ceremoniis cultus Dei peragatur, modo illi sint decori, & bono ordini in ecclesia conservando inseruant: nam nusquam in *scriptura sacra* certi quidam eiusmodi ritus sunt determinati, qui in vniuersa eccl. sia, & omni tempore sint obseruandi; sed tantum in genere praeceptum, bonum & decentem ordinem esse adhibendum, *I. Cor. XIV.*  
 40. Quemadmodum neque hoc ipso capite, *I. Cor. XIV.* definitus aliquis & vniuersalis ordo, toti ecclesiae Christianae praescribitur, sed maximam partem tantum ecclesiae eius temporis & loci: quod vel inde patet, quia ordo hic erat adhibendus propemodum tantum in viu donorum quorundam extraordinariorum, quae ibidem enumerantur. Illa autem dona iam dudum cessarunt, propterea ipsum quoque hunc ordinem, qui ea spectabat, vna cum illis cessasse, nec amplius in ecclesia obseruandum esse, manifestum est. *Infantia: munus prophetandi, de quo Apostolus I. c. agit, ordinariam & publicam verbi Dei praedicationem denotare, adeoque ordinem v. 29. 30.*  
 31. *praescriptum, adhuc obseruandum esse, & sic enique facultatem publice loquendi concedendam.* Resp. Fateor equidem, temporibus Apostolorum, cum ecclesia adhuc esset plantanda, & quasi prima illius fundamenta ponenda, facultatem hanc pluribus fuisse concessam; quamquam neque tunc promiscue, & sine discrimine omnibus, quod etiam ex h. I. adducto apparet, ubi Apostolus non tantum distinctionem facit inter laicos & doctores v. 16. verum etiam diserte pronunciat, mulieribus non licetum esse, vt in ecclesia loquantur v. 34. Postmodum autem

autem, iam tempore Apostolorum, cum ecclesia in statum aliquanto meliorem redacta esset, officium do-  
eendi certis quibusdam personis, ad hoc prae ceteris  
idoneis, commissum est, adeoque potestas publice lo-  
quendi iis solis concessa. *Act. XX. 28. Eph. IV. 11. I. Tim.  
III. 2. seq. II. Tim. II. 2. Tit. I. 5. Resp. 3:0* Hisce nostris  
praesertim temporibus, periculosisimum est, cuius pro-  
miscue concedere facultatem loquendi in conuentibus  
publicis, cum secundum prophetiam Apostoli *I. Tim. IV. 1.*  
seq. multi pseudoprophetae sint exorti, qui hac ratione  
occasionem haberent maxime opportunam, simplices a  
veritate seducendi, & heterodoxias suas pro libidine di-  
uulgandi: ut alia incommoda, quae inde sequerentur,  
taceam.

## §. X.

**S**acramenta, Baptismum & coenam Domini, non admi-  
nistriari rite, i. e. secundum institutionem & manda-  
rum dictum, in ecclesia Euangelica. Nam ( $\alpha$ ) de baptizandis  
infantibus nullum existare mandatum in verbo Dei, sed de solis  
adultis. Resp. 1:0 Sacramenta, quoad omnes partes rite  
in ecclesia Euangelica administrari, ex iis, quae supra  
dicta sunt, dispalescit (*C. I. M. III. §. 4.*). Resp. 2:0  
Quamquam de paedobaptismo nusquam in *scriptura sa-  
cra* expressum & speciale mandatum inuenitur, habet  
tamen in illa fundamentum. Nam ( $N$ ) *Matth. XXVIII. 19.*  
omnes sine ullo aetatis discriminе factо, baptizari iubен-  
tur, qui Christo discipuli sunt faciendi ( $p$ ). At non  
solum adulti, verum etiam teneri infantes Christo di-  
scipuli faciendi sunt, ergo consequenter etiam illi sunt  
ba-

( $p$ ) cfr. *C. I. M. II. §. 2.*

baptizandi. (3) *Job. III. 5.* luculenter dicitur, neminem, qui natus est caro de carne, i. e. qui in peccato conceptus & natus, eoque contaminatus est, nisi regeneretur *aqua & spiritu*, i. e. baptismō, posse intrare in regnum coelorum; ergo etiam necesse est, ut infantes regenerentur baptismō, cum etiam illi eo modo sint nati caro de carne, *Pſ. L. 7. Eph. IV. 5.* (3) Apostoli dicuntur integras domos, i. e. familias baptizasse, vt *Aſt. XVI. 15. 33.* vbi notatu dignum est, quod Apostolus non tantum dicit: *ī Baſilidn, qđ ī dūjā, sed, qđ ī NE. dūjā mālēs.* Itaque cum sine dubio, saltem in aliqua earum familiarum, etiam infantes fuerint, negari sane non potest, eos quoque ab apostolis baptizatos esse. Resp. 3:0 Baptismus successit in locum circumcisionis, ergo sicut infantes in V. T. circumcidabantur, ita quoque in N. T. illi sunt baptizandi. Quod autem baptismus circumcisioni sit surrogatus, vt initiationis sacramentum, inde collectu proclivus est, quod sicut proselyti in V. T. circumcidabantur, cum in communionem ecclesiae Judaicae essent recipiendi; ita quoque proselyti N. T. i. e. qui e pagani-  
mo vel Judaismo ad Christianismum accedebant, ab apostolis sunt baptizati. Vnde & circumcision Christi vocatur *Col. II. 11. 12.* (q) Resp. 4:0 Ex historia ecclesiastica patet, iam secul. II. & III. moris fuisse, infantes baptizare (r); quod certe Christiani eorum temporum

tam

(q) *Dannbaw. Hodos, Phaen. X. p. m. 1093.* Id enim omnino vult *v. 73. de Mil.* apostolus, non amplius urgendum esse Judaismum ac Judaismi ceremoniam, circumcisionem, eo quod baptismum acceperimus, qui *ī ū. omnibdī.* sit instar circumcisionis, astaurundem habeat virium. *Citius, qđ bapt.*

(r) vid. Joachim Langens *Richtige Mittelstrasse*; Erster *Zak. Lint. Sil.*

*quales ea jā  
fuerint acte-  
re, vt verbū  
deī illis petrī  
notabili.*

cam uanimi consensu nunquam fecissent, nisi pacdoba-  
ptismum a Deo & apostolis institutum esse nouissent.

## §. XI.

**N**eque (3) coenam Domini in ecclesia Euangelica rite ad-  
ministrari, cum omnes impii promiscue ad illam admittan-  
tur, contra consuetudinem primitiuae ecclesiae, in qua omnes  
impii ab vsu illius sint exclusi. Resp. 1:o Fateor equidem,  
nullos impios iure ad sacram coenam esse admittendos, sed  
quantum fieri potest, eos ab illa excludi oportere. Resp.  
2:o Fateor etiam in primitiua ecclesia, praesertim initio, hoc factum esse. Resp. 3:o Quod autem nec in pri-  
mitiua ecclesia, omnes & singuli impii, ab vsu sacrae coe-  
nae sint exclusi, aut excludi potuerint, id e scriptura  
N. T. ad oculum usque patet. In prima coenae domi-  
nicae celebratione Iudam proditorem adfuisse *Johannes C.*  
*XIII.*, haud obscure indicat, vbi refert proditorem illum,  
adhuc post finitam coenam adfuisse, adeoque etiam sa-  
cramento coenae vna cum reliquis Apostolis usum fuis-  
se, cfr. v. 2. cum 10. 18. 26. & 27. Immo *Lucas C. XXII.*  
19. 20. 21. hoc ipsum extra omne dubium ponit. Quod  
etiam in ecclesia Corinthiaca, haud pauci impii, cum  
numerus eorum ita inualuisset, ut omnes non amplius  
excommunicari possent, vna cum piis ad coenam Domi-  
ni accesserint, id ex epistola Pauli priori ad Corinthios  
satis manifestum est. Resp. 4:o Hinc itaque sequitur,  
coenam Domini in ecclesia Euangelica, non propterea  
contra ordinationem diuinam, aut consuetudinem primi-  
tiuae ecclesiae, administrari, quamvis etiam impii, qui

ex-

*Urbweg. C. IX. Origen. in C. VI. Rom. die Kirche hat die Weis-  
se, die Kinder zu tauffen, von den Aposteln empfangen.*

excommunicari nequeunt, simul cum piis ad eandem admittantur. Resp. 5:o Si autem alicubi neque illi, qui possent excommunicari, excommunicantur, id rursus toti ecclesiae non est imputandum, neque propterea separatio a totius ecclesiae Euangelicae communione necessaria.

## §. XII.

V:o **S**olent in medium adduci *varia scripturae loca*, ad probandam necessitatem huius separationis: vt 1:o *Jer. XV. 19.* Resp. Hoc loco intelligitur discri men a propheta inter auditores faciendum, partim etiam separatio a societate scelerum cum impiis, partim a familiari cum illis conuersatione; non autem secessio a communione ecclesiastica: quod ex eo evidens est, quia nusquam legimus Prophetam auditoribus suis eiusmodi separationem ab ecclesia Judaica, aut cultu diuino in ea visitato, persuasisse, sed potius ad cultum eundem rite praestandum serio quemuis admonuisse. 2:o *I. Cor. V. 11.* Resp. De iisdem conuiuiis & eadem conuersatione loquitur Apostolus in hoc v. 11. de quibus locutus fuerat in v. 9. i. e. conuersatione fraterna, & conuiuiis quotidianis: non igitur l. c. interdicit communionem ecclesiasticam cum impiis, sed conuiuia communia, & quotidiana, eamque familiarem & amicam, cum ipsis conuersationem. *Instantia:* *Si cum impiis in conuiuiis mundanis adesse non licet, multo minus licere simul cum ipsis adesse in coelesti illo conuiuio.* Resp. Apostolus non interdicit, nec potuit interdicere, omnem plane cum impiis conuersationem & politicam societatem: *Alioquin, ut pronunciat Apostolus ibid. v. 10. oportet vos mundo excedere;* quin potius in medio generationis prause ac peruersae tanquam lumine in mundo lucete, *Phil. II. 15.* sed tantum, ut modo dictum,

arctiorem, amicam, & familiariter. At eiusmodi familiaris conuersatio non est, quando pii cum in pii simul ad coenam Domini accedunt (*cfr. C. II. M. I. § 4. Resp. 3.*); proptereaque minime sequitur: pii debent abstinere a conuiuiis quotidianis cum impiis, ergo etiam a conuiuio sacrae coenae.

## S. XIII.

*3:0 II. Cor. VI. 14. seq.* Resp. Paulus h. l. dehortatur Christianos ab idololatria gentilium, quod vel ex voce ista *ām̄os* apparet, quae communiter in N. T. denotat ethnicum. Sed quomodo, quaeſo, hinc rursus sequitur: Christiani debent se separe a cultu gentilium idololatrico; ergo etiam debent discedere a veri Dei cultus exercitio & viſu sacramentorum cum impiis? *4:0 Epb. V. 11.* Resp. Hic interdicitur participatio in operibus tenebrarum, non in cultu diuino. *Infantia: abusum sacrae coenae esse etiam odus tenebrarum.* Resp. Concedo; sed qui ipſe digne vtitur coena Domini, & abusum impiorum detestatur, eundemque data occasione, decenter reprehendit, non participat culpat illorum: nam sola & nuda præcentia in eo loco vel consortio, vbi peccata perpetrantur, neminem reddit participem eorum, nisi qui iubeat, approbet, adiuuet, &c. eadem. Alioquin enim Christus, Prophetæ, Apostoli, aliique veri Christiani, qui, vt antea ostendimus, cultui diuino, & coenae Domini, una cum impiis, interfuerunt, de peccatis eorum, abusu sacrae coenae, & cultus diuini, commissis, participes essent facti, quod dictu plane absurdum est. Haec iam fuisse præcipua illa argumenta, quae ad probandam necessitatem separationis ab ecclesiae Euangelicae communione proferri solent. Reliqua non videntur esse tanti momenti, vt illis examinandis immorari nobis sit necesse.

S. D. G.